



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XXXII. Magnum fructum facit in multis illius Vniuersitatis viris, & alijs
præcipuis sæcularibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT XXXII.

*MAGNUM FRUCTUM
facit in multis illius Vniuersitatis vi-
ris, & in alijs principibus se-
cularibus.*

ANNO
1574.



X illo Zelo, quo Pater Bal-
thassar tenebatur animas iu-
uandi, dedit operam, vt ad
suum Collegium deduceret
Patrem Doctorem Ioannem
Ramirium, insignem nostre
Societatis Concionatorem: vt
feruenti suo Zelo raroque talento, corda moue-
ret tam eorum, qui ad illustrissimam illam V-
niuersitatem confluunt, quam nobilissimorum
Equitum ac Ciuium; ipso interim Patre Bal-
thassare accedente pro more ad agendum priuati-
tim cum multis, cupientibus ab ipso deduci ad
perfectionem. Confluebant ad Collegium no-
strum multi studiosi, vt Societatis exercitia per-
agerent, sicut & nunc fit, quos sanctus ille Pa-
ter plurimum iuuabat, eiusque verborum ac-
rationum vi aliqui decreuerunt mundo renun-
ciare, & nostram Societatem ingredi: quorum
vnus fuit Pater Franciscus Abulensis, cuius in
Societatem ingressus, cum stupendis adeo cir-
cumstantijs positus fuit supra capite decimo-
quinto: sed non fuit minus insignis ingressus
in eandem Doctoris Augustini Mendiolensis,
Præ-

Præclarus Collegij Conchenſis Collegialis, & Philoſophiæ in illa Vniuerſitate Profeſſor; qui pluſquam à decem annis vocabatur à Deo ad noſtram Societatem: & quamuis Pater Balthaſar illum moneret, & iuaret, vt tali vocationi fidelem ſe præberet; ipſe tamen differēbat, ſe ipſum decipiēſ ob quaſdam obligatio- nes, quibus putabat ſe teneri: & vt eis ſatis- faceret, cœpit quærere quædam beneficia, & redditus Eccleſiaſticos, deſiderans peruenire ad altiſſimum locum, quem ipſius maxima talen- ta, & varia eruditio aſſequi potuiſſet. Sed cum maximè ipſe eſſet in hiſce ambitionibus immerſus, voluit diuina bonitas, tales eius grefſus impedire; & graui ægitudine, quâ per- uenit ad portas mortis, oculos eius aperire. Timens ergo periculum, & rediens ad ſe ipſum, deprehendit magnum ſuum errorem, quòd tam diu diuinæ vocationi reſtitiffet. Cum igitur die quodam, valde à morbo pre- meretur: magnumque conſcientiæ remorſum, & ſcrupulum ſentiret, eò quòd non ſatiſfeciffet deſiderijs à Domino ſibi datis: etiamſi ali- quid occurreret, quo ſe excuſaret: fixit ocu- los valde affectuoſè in imagine Chriſti crū- cifixi, quam in ſuo cubiculo habebat: ex quâ ipſemet CHRISIVS eſt allocutus, eum- que ob talem ditationem reprehendit, ac iuſ- ſit, vt Societatem ingrederetur, inſinuans il- li, ſe ſanitatē reſtituturum, vt id perfice- ret.

B O N V S ergo Doct̃or Mendiolenſis ta- li voce & mandato, hinc erubuit ob ſuam ne- gligen-

gligentiam; inde verò valde fuit consolatus & animatus ex tanto CHRISTI Domini favore: & ita decreuit certò ingredi Societatem. Petijt à Patre Rectore cum summa instantia, admitti. Pater Balthassar videns mutationem; quam potens Dei manus illo pulsu infirmitatis fecerat in corde adedò immerso hinc sæculo consulto & approbante Patri Provinciali, ei significauit, vt cogitaret se esse Societatis; & quando ita esset dispositus, vt posset ad Collegium venire, id faceret. Tantum animi huius nunciij gaudio ille accepit, vt licet morbus grauis esset, ac periculosus, adedò tamen contra illum nuncius ille præualuit, vt locum de dero surgendi, cum aliqua morbi remissione: & quantum licuit pedibus consistere, venit & ingressus est Collegium: vbi Pater Rector & cæteri nostri expansis vlnis, & cum magna charitate ac lætitia eum sunt amplexi. Tulit secum prædictam Crucifixi imaginem, sæpeque asseuerauit nostris domesticis, quod verè esset locutus, nec posse subesse fraudem; sed veritatem maximam. Et ita affirmabant multi, quod sæpiùs ex eius ore id audiissent, patris illis diebus, quibus in Societate vixit: nam eodem die, quo fuit exceptus, ita inuasit eum iterum febris, vt coactus fuerit statim ire ad lectum: in quo mansit vsque ad suum obitum, duodecim scilicet dies, postquam fuerat ingressus. Erat valde lætus, quòd videret, se mori circumdatum tot Religiosis, ubique ipsi etiam ministrantibus: cum animo deliberato & firmo seruiendi Domino Deo

MINO nostro cum magna perfectione toto tempore vitæ suæ. Sed Maiestas diuina deliberata & resoluta illa voluntate contenta, voluit illum ad se vocare, *fortè ne mlaitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam ipsius.* omnes autem DEVM glorificarunt, quod admirandis vtatur medijs, ad saluandos suos electos, per capillos (vt dicitur) eos trahens, quando ipsi nolunt sponte venire.

Sed redeamus ad Patrem Balthassarem, in eadem Vniuersitate cum multis grauibus & splendidis personis agentem, magnam de ipso opinionem habentibus, eiusque directione in rebus animæ libenter vtentibus. Inter hos fuerunt D. Teutonium, postea Episcopus Eburenfis, qui sancto huic Patri semper confitebatur; & quoniam magno eum prosequabatur amore, multa in eo obseruauit singularia indicia sanctitatis: quæ postea rerulit, vt huic historiæ insererentur. Egit quoque valde familiariter cū D. Santio Abulensi, qui nūc est Episcopus Nētesanus; & D. Christophoro Vella, qui postea fuit Archiepiscopus Burgenfis, & rem quandam notæu dignissimam in modum Prophetiæ testificatus est, quæ sibi in eadem ciuitate cū P. Balthassare euenit. cū. n. soli essent, dixit ei Pater: certū mihi est D. Magister, Deum vestra opera vti velle in re aliqua plus quàm ordinaria: nec mihi vllum est dubiū; quare nec vos dubitate: quia breui id experiemini. Ita autē euenit: nam statim fuit promotus in Episcopum Canariensem, qui tamen, quod tanti faceret Patris Balthassaris iudicium, noluit suum consensum in
eam

Parte I.
cap. 6.

eam promotionem præbere, donec cum eo ageretur, & ab eo postquam Deo negotium committeretur, intelligeret, quid sibi esset agendum. Pater Balthassar fecit cum toto Collegio orationem, postea respondit; ut absque aliqua hæsitacione dignitatem illam acceptaret. Nã (vt S. Gregorius in suo Pastoralis ait) qui huiusmodi dignitatibus digni sunt, quemadmodum non debent eas sponte sua ambire, ita non debent reijcere cum illi constat de diuina voluntate, vt acceptis à Deo talentis possint fideles subditos adiuuare.

SIMILIA ei euenerunt ibidem cum Monialibus Carmelitis Discalceatis, quas ob singularem earum Religionem & spiritum libenter visitabat, & aliquarum Confessiones audiebat, eas consolans, animumque addens ad viam perfectionis ambulandam; & nominatim matrem Annam de IESU, quæ eius Conuentus erat Superior; & postea fuit Madridiensis; & aliorum quæ cum omni asseueratione affirmabat: Pater Balthassar habere Prophetiæ donum: multis enim annis ipsi prædixerat ingentes labores & molestias, quas esset subitura in promouendis consilijs S. Matris Theresæ de IESU, Religionis eius fundatrici. Et cū illa de aliquibus, quæ ab illo audiebat, dubitaret ob ingentem difficultatē, de qua non sciebat, an posset superari: Pater ei affirmabat: omni dubio procul fore, vt ipsa experiretur. Et cū postea eidem Patri referret de aliquibus, quæ tunc ipsa perficiebantur, subridens ipse ei dicebat: gaudeo, vt affuescas credere Deo; & ijs, qui in eius nomine misericordias eius tibi prædicunt, & sanguine suo, si opus esset, subscribere velle.

quòd easdem experturæ essent illæ personæ, quæ in huiusmodi occasionibus ac difficultatibus essent, quas ipsa expertura esset; & multo plura passura esset, quàm cogitaret. Id quod sensim re ipsa eueniebat, plurimæ enim valdeque notæ, & manifestæ fuerunt molestiæ, ac difficultates, quas Dei hæc famula in Religione sua perpeffa est, vt tueretur, ac propugnaret, quæ Sancta eius mater constituerat, vt dictum est. Et ego certo mihi persuadeo Dominum nostrum ex amore, quo hanc famulam suam prosequabatur, voluisse eam præuenire per eius Confessarium reuelando ei molestias ac difficultates illas, vt ad eas ferendas se præpararet; pectusque ac fortitudinem contra eas indueret, iuxta commune illud dictum: iacula præuisa minus feriunt, ac proinde minus nocēt.

IDEM Monasterium ingressa est soror cuiusdam P. Societatis, vt esset Monialis, quæ tamen *P. Hieronymi Abulensis* propter continuas suas ægrotudines non potuit perseverare. inde igitur exiens, contulit se ad *sis* Monasterium S. Elisabethæ, vt ab strepitu sæculi separata, cogitaret, quid sibi impostero esset faciendum. Petente autem ipsa accessit ad eam P. Balthassar, vt consolaretur, & sic eam affatus est: ne existima parum me laborasse, vt tuum Spiritum agnoscerem; & mihi crede, quod te Deus amet: sed non vult te esse Monialem Discalceatam: & hoc crede, quasi Angelus aliquis Dei id tibi diceret. Illa quidem tunc quieto & pacato fuit animo: sed aliquot elapsis annis, prædictionis huius oblita redijt ad idem Institutum in Conuentu Albano: & postquam magnam partem sui Novitatus, valdè tranquillè peregisset, noluerunt

moniales ad Professionem illam admittere, nulli interim, cur id facerent, causa reddita; ideo ob hoc cum deferere debuit. Quæ postea in memoria reuocans, quæ ex ore P. Balthassaris audiuerat, consolationem accepit, & studuit in ipso saculo collectè ac religiosè viuere. Notum enim est: non omnibus, Religiosis statum cupientibus, facere Deum hanc gratiam, vt in ea admittantur; sicut neq; omnibus Martyrium exoptantibus, illud concedit. Omnes tamen meritò conari debent vt votorum ac desideriorū suarū cōpotes fiant, ita vitam suā instituēdo, vt non degenerent à perfectione, quā quærebāt, in eo gradu, qui illis cōceditur.

QVIDDAM aliud satis notādum euenit P. Balthassari in eodē cœnobio, vbi ostendit magnā suā charitatem, vt Cap. 17. fuit explicatum. Quæ charitas cū ad eū esset magna, nō satis habebat Religiosis foeminis prodesse; sed ad multas præcipuasque Dominas eius ciuitatis se se extendebat, adiuuans ad earū reformationē, cū aperta morū mutatione: cuius rei non pauca potuissent exēpla adferri. Quædā inter alias nobilissima Domina Anna Maria Guzman, cōiunx Dñi D. Henrici Bolanni, (qui tunc erat ciuitatis huius gubernator) ex consilio Sactæ matris Theresiæ de Iesu cœpit P. Balthassar cōfiteri: & post dies paucos ita mutata est, vt cū esset iuuenis, diues, & sæcularibus ornamentis adiecta, ita ea abiecit, vt cōiunx lepidè soleret dicere, quis meā coniugē deformauit? Sed cū & ipse valde pius esset, non dolebat coniugē vanitates illas abijcere, & solidiorē animæ suæ curā gerere. Ita perseverauit, imò valde profecit postquam remansit vidua, progrediens semper in Orationis

Exer-

Exercitio, quod à P. Balthasare acceperat, in qua etiam multum profecit.

NEC minus profecit tunc Comitissa Montis Regij D. Maria Pimentella, vidua & senex: quæ tanti viri hunc Sanctum fecit, vt nullus eque ei satisfaceret, aut cõsolaretur, aut maiore animum adderet ad progressum in seruitio Dei; & ab momento quo illum nouit, per reliquum vitæ voluit eius iudicio & cõsilio gubernari, quãdiu præsens aderat, aut si absens esset, etiã per literas ab eodẽ dirigebatur. Et quãdiu mansit ibi Comes Oliuarius D. Henricus Guzmanus (optimè in Hispania ob inuictum eius animum notus) frequens erat apud ipsum P. Balthasarem, reddens ei rationem totius animæ suæ: cuius iudicio in omnibus rebus suis volebat dirigi, cum magna animi sui tranquillitate & pace.

EODEM tẽpore D. Ioanna Toletana Marchionissa Veladã, quæ longo tẽpore egerat cùm P. Balthasare Abulæ, cum insigni Spiritus sui profectu, venit Albã, vbi Ducib. Ferdinando Aluãrio Toletano & Mariæ Toletanæ, & Enriquæ eius cõiugi, retulit præclaras dotes, ac talia Sancti huius viri: quare illi magno desiderio tenebatur, eum videndi, & cognoscendi; ideoq; Salmanticã quatuor tantum miliarib. Albã distante, eum accersuerunt: & venientem magna animi alacritate exceperunt: Et statim atque cùm eõ coeperunt agere, aduerterunt verissimum esse, quod illo audiuerat. Quare in ea familiaritate perierunt: accedente interdum ad eos visitandos ipso Patre, qui suis sermonibus, & rationib. fecit illos in Societate propensos, & benè affectos; rerumq; eius verè capaces, retegendo quasdam deceptiones, ab alijs contra eandem Societatem sparsas. Magnaq; cùm animi admiratione referebant mutatio-

nem, & fructum animarum suarum ex verborum eius efficacitate. Eadem etiam opera plures alii in Oppido illo adiuuit, docens rationem orandi, in qua diu postea perseverarunt.

I B I D E M etiam egit valde familiariter cum ipso Marchione Veladio D. Gometio Abulensi, cui instillavit matris eius deuotionem & propensionem in Societatem, eumq; instruxit in rebus ad Orationem spectantibus, in qua dicebat ipse Marchio, se inuenire quidquid ad bonum animae suae, & gubernationem domus ac Status sui optinere haberet. Et postea ad maiorem lucem rerum spiritualium, maioremq; cum Deo D. N. familiaritatem contulit se Villa-Gartiam: (quod P. Balthassar marmora grauerat) vbi haesit per dies quindecim cum Patre agens de rebus suis, adeo demissè, atque si Nouitius quispiam fuisset. Nec paruum splendorem ex hac cum Deo familiaritate acquisiuit, ob quem fortè dignus factus est, quem diuina Maiestas amplissima, & eminentia Officia eueheret.

E X I I T ex eodem suo Collegio etiam Valle-Oletum, & ad alia loca in rebus grauissimis, nonquam tamen sponte sua, sed iussus à suis Superioribus, benè aliàs conscius obligationis, quae tenetur Praelati assistere suo gregi, quamdiu ipse Dominus aliud non constituit, ac iubet. Ita ille scripsit in Epistola quadam breui, sed valde spirituali ad Sororem Stephaniam, cuius supra meminimus, quae valde cupiebat interesse Patris suae Professioni. Si fuerit (inquit) Dei voluntas, ut Professioni tuae intersim, magno id mihi solatio futurum est: non enim promoui, ut in sanctam istam domum non habens dotem, nec merita admittere

Aug. 1574.

”

”

”

”

ris,

ris, ut tui statim obliuiscerer, quasi qui mortuum
 sepelit, nec amplius eius recordatur. Quod si forte
 non licebit mihi interesse, hoc dico: quod ad tales nu-
 ptias magna requiratur puritas & sanctitas: hæc
 enim dos est, & supellex, quam dulcis tunc spon-
 sus requirit: quod si desit sanctitas, ne desit saltem
 humilitas; ut verecundia suppleat, quod deest in
 bona conscientia: & cum hac dispositione acce-
 des, ut amphoram non testaceam apponas ad Epi-
 stolum excelsissimi eius amoris diuini, cuius in-
 fluxu tota repleatur. Oret Dominum, ut me totum
 faciat suum, meumque istuc aduentum dirigat, si ad
 maius eius obsequium id est futurum: aliam Sal-
 manticæ manebis; quia non vult ipse, ut eius ani-
 mas præ ipso diligamus. Hoc scripsit P. Balthasar,
 & ita mansit Salmanticæ toto suo triennio: licet
 in ultimo anno excitata fuerit quædam tempestas
 ad ipsius humilitatis & patientiæ probationem:
 sed quoniam durauit toto sequenti anno, quo
 fuit Villa-Gartiæ, eam ibi referemus.

CAPVT XXXIII.

*MONITA EIVS CIRCA COL-
 loquia de rebus Spiritualibus contra de-
 prauatas phrasas Illuminatorum,
 qui tunc temporis surre-
 xerunt.*



CIRCA hoc tempus, Anno scilicet
 1575. orta est hæresis, quæ dicitur il-
 luminatorum in Bætica Pronincia,
 cuius phrasas modusque loquendi,
 perniciosus valde erat in materia re-